

simul obserues, an commisceantur metallorum duo, tria, vel quatuor, & simul fluere permittantur: nihilominus tamen alterum alteri opem ferre nequit, quæ illi origini, eiusdemque perfectioni inferuiret, quatenus quodlibet alterius auxilio indiget. Et licet etiam auro imperfectum aliquod metallum addatur, nihilominus tamen aurum constantem suam perfectionem minime deserit: Ipsi nihil deest, nec superflui quiddam penes se habet, vt imperfecto metallo aliquid communicare posset: Et licet id etiam esset, vt imperfecta metalla virtutem illius assumerent, nihilominus tamen inconstans atque culpabile fieret. Frustra igitur ista forma & Medicina in metallis quæritur, quæ perfecto, in metallis concluso, Mercurio operam suam commodaret.

### CAPVT QVINTVM.

*su* Porro etiam in Philosophorum libris scriptum legitur, argentum viuum, & sulphur esse omnium metallorum originem: Quocirca multi, & omneis ferme Chymici, dum manifesto nomen argenti viui reperiunt, illud vulgare argentum viuum esse autumant, quod tamen nullo modo esse potest: Imperfectum enim metallum, & quasi à principio exortum est, quo de alia metalla facta sunt: quamuis pauca de illius generatione scripta sient, idque ideo, quod nomen sulphuris, vel Mercurij, vsurpetur à Philosophis, supra ipsorum rectum perfectorum metallorum initium. Et nisi ille nullum metallum esset, tunc etiam inter metalla nihil reperiretur, quod responderet influentiæ Planetæ Mercurij, vtpote aurum Soli,  
argen-

The Chym. Vol. 2.  
p. 743.  
in fine part. 16.